

A rem, & attractum expellere. Nam Galenus in libro de natura factiossum probat fieri attractionem, ut id quod attrahitur, retineatur: idem retineri ut concoquatur & assimilatur: facta autem concoctione & assimilatione, quod dissimile est relictum expellatur: a deo ut attractionis finis sit retentio, huius vero concoctio. Dicendum igitur erit vrinam attrahi a renibus ut retineatur. At si retinebitur, retinebitur ne ut concoquatur & assimilatur? At si hoc fit, fateri cogimur ex seroso humore nutriri renes, quod absurdum agnoscitur. An dicendum est, ea quae scribit Galenus de fine illarum actionum, intelligi solum de ijs rebus quae nutriri possunt? Alia vero esse attrahi rationem in his quae attrahuntur ob solam familiaritatem qualitatum. In illis enim multa fieri attractione ob retentionem, sed naturae providentia quae attractionem instituit, ut separatio fiat rei inutilis ab utili, & inutilis fiat expulsio, ne corpus ab ea laedatur. An dicemus etiam fieri quandam breuem retentionem & fruitionem in ea rei gratia, cuius ratione mouebantur renes ut attraherent? Quid prohibet etiam quo minus dicamus cum seroso humore attrahi etiam aliquid ex tota massa, ex quo renes ipsi nutriuntur; & illud retineri, concoqui, & sua apparere excrementa, vrinam vero ipsam nequaquam retineri, ubi enim in renibus asseruari posset? conueniens enim non est, ut quod purum iam est excrementum, diu retineatur in aliqua parte, etsi de naturae lege quaedam partes sunt institutae ad illius attractionem, collectionem, & transmissionem. Trahi autem a renibus praeter serosum humorem aliquid ex tota massa ex eo constat, quod illos nutriri oportet ex quatuor humoribus, & quod vrina tingatur colore subpallido, & habeat contenta quae quidem bilis & pituitae mistionem ostendant. Nec absurdum est aliquid humoris melancholici etiam misceri, etsi ille ob sui paucitatem euidentem non praebet mistionis notam: minimum enim est aliorum proportione humoris melancholici in corpore, & ex eo quod attrahitur a renibus minimum relinquatur; nimirum quod renes suapte natura crassi & duri melancholico sanguine, ex quo solo crassities conciliatur in alimento, ut Galenus testatur septimo Methodi, egeant ad sui nutritionem. Quibus quidem ita declaratis, licebit definire. Vrinam esse excrementum tenue & aquosum ex potu genitum in concoctione quae fit in ventriculo, & perfecta concoctione hepatis separatum a sanguine renum, & receptum in vesica: nam per sudorem vacuatur etiam aquosus hic humor, nec non per aluum, & scilicet venam cum sanguine ducitur, sed vrina non vocatur, quia per renes non trahitur nec recipitur in vesicam. Vacuantur etiam per renes & in vesicam recipiuntur lapilli, arenulae, sanguinis grani, pili, & multa alia quae vrina non dicuntur, quia non sunt de natura aquosi humoris, sed in vrina dicuntur contineri, quia cum illa exeunt. Vrinae excretio non solum habet hunc usum, quod corpus sanguine purget, sed etiam quod indicium sit latentium in corpore morborum multorum, & quod pituitam, pus, lapillos & alias sordes haerentes in visceribus & partibus, per quas illa transit, abstergat. Haec de ipso liquore, generatione, causis & usu ipsius vrinae nunc sufficiant.

Differentiae Vrinarum. Cap. III.

VRNAE differentias quasdam dicemus esse praecipuas maximè, alias vero minus. Illas ita vocamus, quae sumuntur ab ijs quae in urina apparent; has uero, quae a causis, effectis, & mingendi modo differunt: quae etsi immediatè non conferunt ad indicandum de urina, tamen illius naturam & patefaciunt, & vna cum illa corporis affectus produnt. Porro in vrina apparent consistentiae, vrinae qualitates, quantitas & consistentia. In consistentia haec inveniuntur differentiae, quod vna sit crassa, alia tenuis, alia mediocris. Tenuis crassa vrinam Galenus & Auctarius ita diuidunt: quod quaedam sit quae tenuis mingitur, & postea tamen manet: alia vero quae tenuis mingitur, sed crassa postea euadit, idque vel statim vel longiore interposito tempore. Sic inter crassas quasdam dicunt esse quae tales minguntur, & tales manent postea: alias vero quae crassae minguntur, & postea attenuantur, & tum has tum illas omnes tenues & crassas aliquid peculiare in cruditate & concoctione ostendere. Quarum auctoritate commotus Montanus, corruptas vrinam antequam ad ignem reciperent quam prius habebant naturam, inspicere solebat. Quod mihi factum cum Patavi vna cum ipso aegrotos communi opera inuiserem, risum mouit, nam quid ostendere possunt tales vrinam corruptae a frigore vel a calore externo? quandoquidem videmus omnes vrinam & tenues, & crassas, & albas, & pallidas, & alias quascunq; tandem ita corrumpi, crasse scire, perturbari & confundi. Quae crassae sunt, cum deposita parte ex qua fiebat crassities in liquore vrinae tenues redduntur, ostendunt certe quod illi auctores scribunt: At tenues crassae nunquam fiunt extra corpus, ita ut aliquid assument materiae crassae, quae aliquid de corpore possit ostendere. Id quod ostenditur, quia postquam excalescit fuerunt, clare euadunt, & recipiunt eadem consistentiam, & eas qualitates quas habebant cum a corpore exierunt. Fiunt ergo vrinam tenues in aere, non crassae re vera, sed opacae & confusae; & si crassae fiunt, non fiunt ob mistionem, sed ob coactionem; quae cum puram habeat causam ab aere ambiente qui calorem & spiritus vrinae extinguit frigiditate, aut calore dissoluit, (qua ratione in tempore admodum frigido uel calido facillimè ita vrinam corumpuntur) nihil potest de dispositionibus corporis nostri significare. Quare crassities

De Renum attractio

de hoc Laurent.

1. 1. 7. ch. 33. 44.

et alij. vnde

vnde dicitur